



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 10. Bonum in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

§. VIII.

Bonitate Dei non abutendum.

Defecimus in ira tua. Pl. 89. 7. q. d. Domine, tu iratus es nobis propter peccata nostra, & flagellasti nos; sed non correximus nos, sed in ira tua defecimus murmurando, impatienter sustinendo, à peccatis non cessando. *Percussisti eos, & non doluerunt.* Jer. 5. 3. *Nè deficias, cum ab eo corripieris.* Prov. 3. 11. Multi ergo deficiunt in ira, sed plures in misericordia: qui inde peiores fiunt. Hugo Card. hic.

Indulxisti genti, Domine nunquid glorificatus es? Il. 26. 15. Sensus est: saepe miseratus es gentibus, id est, humano generi, & exercuisti in eas incredibilem clementiam; nunquid te cognoverunt? nunquid glorificaverunt nomen tuum? nonne è contrario longè à te recesserunt? securitas enim negligentiam, negligentia contemptum parit. Hier. hic.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. 20. 15.

Nemo ideo deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur Tertull. lib. de poenit.

Nunc sunt tantò quidam magis impii, quanto est benignior Deus, ac humanior. Clem. Alex. or. ad Græcos.

Quò major est Dei benignitas in nos, hoc major erit ultio; nisi illius benignitate, sicut oportet, utamur. S. Chrysol. in Acta hom. 1.

Væ illis, qui rebelles sunt lumini, & resistunt Spiritui Sancto, nec acquiescunt veritati! & sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate, & beneficiis Dei, duriores fiunt, audacter etiam provocantes eum, cum ipse dederit omnia in manibus ipsorum. Guarrius serm. 1, die Pent.

§. IX.

Varia de Bonitate Dei.

Benedictus Dominus quoniam mirificavit (Symmach. illustravit) misericordiam suam mihi in civitate munita. Pl. 30. 22. Sic enim ait, propria benignitate circumdedit, & munivit sicut civis valido aggere urbem vallant. B. Theodoretus. hic.

Facies hominis. Ezech. 1. 10. insigne est, representans Dei bonitatem, & mansuetudinem. Corn. hic.

Vide ibi de aliorum animalium faciebus.

§. X.

Bonum in genere.

Non est bonum. Gen. 2. 18. Bonum, secundum Dionysium, est sui discursivum; solus autem si esset vir, non posset se diffundere: ergo si esset solus, non esset sufficienter bonus. S. Thom. hic.

Quemadmodum non est lux, quæ non illuminat; neque movens, quod non movet; ita nec bonum, quod non prodest. Clem. Alex. l. 1. pæd. c. 3.

Ejusdem est difficultatis, & bonum aliquod, quò antè carebas, adipisci, & cum adeptus fueris, conservare. S. Greg. Naz. or. 40. in S. Baptisma.

Bona, quæ sunt bona, scire, nisi malorum cognitione, non possumus. S. Chrysol. l. 131.

Impossibile est, bonum aliquid fieri, quin simul etiam pullulet malum. S. Chrysol. in Acta hom. 33.

Non potest esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali. Orig. tr. 5. in cap. 8. Matth.

